


**Decanus Et Caeteri Professores Facultatis Philosphae, Ad Exequias ... D. Petri
Laurembergii, Poeseos in alma Universitate Rostochiensi Professoris celeberrimi
... Omnes omnium ordinum Cives Academicos, quo par est, studio invitant**

Rostochi[i]: Kilius, 1639

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756284627>


Druck Freier  Zugang






Uiac
orum
regium.

Vol. 241. (3.) <SON>





DECANUS
Et cæteri Professores Facultatis
Philosophicæ,



Ad Exequias

VIRI CLARISS: ET PRÆSTAN-
TISSIMI

D. PETRI LAU-
REMBERGII, Poëseos in

alma Universitate Rostochiensis
Professoris celeberrimi, hodie hora
prima celebrandas

*Omnes omnium ordinum Cives Academi-
cos, quo par est, studio invitant.*



ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno MDC XXXIX.

768 41 (3)



¶ Si sint multi, qui illud Epicuri *λάθε βίωσις* & animo probent, & verbis commendent, & in vita tanquam apprimè utile sectentur, tamen sunt, nec pauciores, qui id sedulo agunt, ut non apud præsentem tantum testentur, sed apud posteros quoq; non se degeneres fuisse hujus mundi incolæ, aut otiosos vixisse Cives Reipubl. quorum nomen & memoriam, idem tumulus, qui corpus tegit, obruat. Et prius quidem illud amplectuntur, qui curas, vanitates & frustrationes humanæ vitæ considerant, qui suū se negotium curare dicunt, nec se alienis facile admiscunt, ne suas res interim negligant, & non raro in periculum abducantur: Cui generi ut assentiat Menippus, apud inferos eum hortatur Tiresias & monet, hoc solum tota in vita persequendum, ut præsentibus bene compositis, minimè curiosus, nulla re sollicitus, quantum possit, vitam traducat. Cæteri vero melius & rectius à Platone instituti noverunt, non sibi tantum natum esse hominem, sed partem ejus patriam, partem parentes, partem proximos quosq; postulare: quæ nisi debita cuiq; tribuatur, justitiæ lex violatur. Igitur si quis DEUM suo in opere laudet, ejus providentiam ac beneficia humano generi præstita prædicet,

dicet, proximo bene velit, bene faciat, magistratum suum vel rectè administret, vel administranti obediat, aliis honesto exemplo præeat, virtutis & modestiæ cultum faciendo & imitando cõmendet, eruditionis præclaram copiam assiduo studio sibi comparet, aliis communicet, non is magis latere potest, quam lucerna obscuro in loco accensa, & opus facientibus inserviando paulatim consumta. Quid si Themistocles ignotus fuisset Atheniensibus, Romanis Camillus, Dioni Plato, quantum damni Resp. cepisset? Quemadmodum vero lumen in causa est, ut non solum alii aliis conspicui simus, verum & utiles: ita notitia non modo gloriam virtutis illustriorem reddit, verum exercitationem quoq; virtutis parit. Epaminondas ad quadragesimũ usq; annum ignotus nihil profuit suis popularibus, cum postea res præclaras gesserit, patriam servaverit, nomen suum æternæ memoriæ consecrarit. In hac posteriorum classe nomen quoque suum profitetur Vir CL. Dn. D. PETRUS LAUREMBERG Poëseos Profess, Collega & amicus noster colendus, cujus ortum, vitam & studia cognoscere, ex eo, quod ipse dum viveret, scripsit, ac suis verbis & fide post obitum publicari voluit, non nullum erit operæ precium.

PETRUS LAUREMBERGIUS nascitur Rostochj
Anno 1525. die 26. Augusti, Patre D. GULIELMO LAU-

A 2

REM.


REMBERG, Medic: & super: Mathematicum Professore, Prae-
ctico celeberrimo. Marre JOANNA LONGOLIA, Nobili
Ultrajectensi Batavâ, nepte JOANNIS & GISBERTI LONGO-
LIORUM. Fundamenta litteraria jecit Rostochij sub
PAULO TARNOVIO Scholae trivialis Rectore. Ingenium
ejus egregium & singulare ostendit se statim in pueritia; Vix 11.
annorum puer sub ductu Dn. TARNOVII integra poemata
graca ut Archonautica nunquam antea latina facta convertit,
& aliquando XIV. distincta genera graca, & latina à se compo-
sita magna cum admiratione exhibuit. in Scholae triviali etiam
num. considens cum pater illius publice explicaret Brucaei librum
de 1. motu, indulta illi quotidie fuit hora una, qua istam lectio-
nem audiret, post redijt ad Scholasticos labores, & ita à teneris
Oratoriam, Poesin, & Mathesin excoluit. Adolescens ibidem
in Academia patria Philosophiam Peripateticam reliquam
tractavit aliquot annos, cumq; paternâ arte delectaretur, cepit &
huic, & Mathematicis disciplinis porro potior em studiorum par-
tem consecrare. Hic juvenilem aetatem agens, antequam un-
quam pedem Rostochio efferret, studiosis aliis multo se senioribus
Astronomiam praelegit, & in Collegio Disputatorio proposuit,
quarum disputationum aliquot hic publice sunt impressae. Anno
1608. Academiam Lugduno Batavam invisit, ibidemq; substi-
stit per biennium, admissus in amicitiam & singularem favo-
rem J. SCALIGERI C. CLUSII P. PAVII D. BAL-
DII. Hic conscripsit, & typis vulgavit ASTRÆAM de usu
globorum impressam Lugduni Batavorum. Postquam perlu-
strasset precipuas Belgij Provincias, & urbes, essetq; Lovanii com-
moratus Anno 1610. in Gallias profectus est, gratia adeundi
Jos: Quercetani, & Andr. Laurentium, Medicos, toto orbe
celeberrimos. Sed uterq; paulo ante illius adventum concesser-
at satis. Interea dum Lutetia Parisiorum commoratur, utens
familiaritate tum aliorum Medicorum, tum praecipue J. Reo-
lani


lani J. Guanij accidit ut & Regina mater coronā donaretur &
HENRICUS Magnus manu parricidæ F. Ravallaci tolleretur
de vita. Ob eas turbas Lutetia relicta perrexit ad alias Gallia
urbes præfectus nobilibus nonnullis Borussis, quos & erudit, &
peregrinantes duxit, cumq; pervenisset Salmurij ad Ligurim à
Philippo Morrao Plebsiæi Domino, gubernatore ejus loci benigne
exceptus est, non solum alloquio, sed & convictu & habitatione
Domestica; Ejus consilio, & suasu adjunctus est LAUREM-
BERGIUS morum magister & Præceptor illustri, ac generoso
adolescenti Anglo Guilhelmo W. Corcuillai, quo cum primum
Universitatem Pictaviensem, hinc plerasq; urbes vicinas inter-
jectas perlustravit, & tandem Tholosum pervenit. Inde cum
porro in Italiam progredi cum suo comitatu constituisset, factum
est, ut dum Montalbanum transirent, affecti loci amenitate, &
Academia commoditate per æstatem ibi subsisterent; Florebat
quidem tum studiosorum multitudine, tum Professorum celebra-
tate Academia Montalbanensis; sed ante id tempus discipli-
nas Mathematicas nemo in ea proposuerat. Qua de causa LAU-
REMBERGIUS motus totam fere Mathesin rogatu, & per-
missu Senatus Academici publice docendo gratis explicavit ma-
gna auditorum frequentia & applausu. Itaq; Anno 1611. jussu
Regis, & consensu Procerum oblata illi, & commissa fuit Profes-
sio Philosophica Ordinaria, qua tum vacua erat. Et primo anno
pro more illius Academiæ mane per continuas duas horas, itemq;
meridie totidem Aristotelis Organon Logicum grecum audito-
ribus suis interpretari jussus est, singulis vero diebus Extraordi-
narius disputationem publicam habere. Secundo anno curricu-
lum Physicum Aristotelicum oportuit illum absolvere, itaq; ex-
plicuit, & Commentariis ut Organon, illustravit plerasq; omnia
opera Physica Aristotelis, libros Physic: de Cælo, de Anima, Me-
teolog: &c omnia hæc commentaria sub titulo Collegij Montalba-
nensis Laurembergiani, & sic secundo anno absoluto curriculo


Philosophico auditoribus suis Lauream seu gradum magistrj cō-
tribuere mos eum iussit. Ita alternis annis hunc laborem reperit,
cumq; ejus fama per Academias Gallia & oras percrebresceret,
solenniter quoq; vocatus fuit ad Cathedram Medicina Theore-
tica in Academia Montalbanensi, quam & acceptasset, nisi tum
crebra littera Senatus, populiq; Hamburgensis, & consanguine-
orum serio, & valde instantes Hamburgens avocassent ad novū
Gymnasium exornandum. Deum vocantem sequutus est, illucq;
ruit Montalbano relicto Anno 1614. Hic in honore, & amore ab o-
mnibus habitus per decennium docendo, & disputando juvenu-
tem gloriose erudiit, uti hodie toto est notissimum cælo! Sed cum
nescio quibus de causis Gymnasium diutius superstes esse nollent
antistites, neq; stipendia erogarentur, vocarunt illum Principes sui
natalitj, & Collegium ducale in Acaademiam patriā Rostochium
ad Professionem Poesios, quam acceptavit, & ut nemini ignotum
est celeberrime exornavit, quanquam interim forte genio, & in-
genio aptior ad Medicinam, aut Philosoph: aut aliud munus.
Huc Rostochium cum familia se transferens Anno 1624. usq; in
presentem 1699. functus est officio Professorio. Quam acris,
& disquisiti fuerit judicij in rebus inveniendis, aliisq; exami-
nandis, quam admiranda item, & divina, id in animis & co-
gnitione, & ore est omnium. Totum illud tempus XXXVII
annorum, quo legit, disputavit, peroravit, nunquam visus est
ulla schedula, aut papyro uti in Cathedra, sed omnia memori-
ter, & extempore incredibili promptitudine edisseruit, tot ille
Orationes funebres in solemnitate Illustriss: Ducum de suggesto,
tot Promotiones, sine omni chartarum adminiculo & ulla titu-
batione habuit. Una cum Gallicis illis operibus circiter LXXXI.
libros, in omnigeno genere facultatum, & linguarum evulga-
vit, partim in Gallia, partim in superiori Germania, in Bel-
gio & alibi, plurima etiam in illius Bibliotheca nondum edita
servan-

servantur. Pueriles illos libellos excusos nullo in precio, aut numero habuit. Corpus constitutione fuit à prima nativitate phthisica, qui morbus illi à matre hereditarius fuit, corpore exsiccato macilento, debili, qua lues etiam illi suprema fila vite abruptit, anno climacterico sexies nono scilicet 53. quem implevit, cum 6 Mensibus. Matrimonium inijt Anno 1616. cum leetissima & pudicissima Virgine MARGARETHA CARMONIA, Viri spectatissimi & honestissimi Dn. JACOBI CARMONII, Civis, & Negotiatoris primarij, ex quo isti nati sunt liberi VI. JOHANNA, MARGARETHA, CATHARINA, JACOB SEBASTIAN, GULIELMUS, PETRUS, GERTRUDIS quorum tres satis concesserunt, tres adhuc vitali aura vescuntur. Obiit Anno labente jam, Mensis Maj die 13. Hora 5. matutina, placide admodum, suspirijs & precibus ad Deum ardentè fufis, cui animam suam commendavit usq; ad extremum vita halitum, ut potius obdormire quam mori videretur, & ratione & intellectu, & loquela instructissimus, postquam per XII. integras septimanas lecto affixus fuisset. Haftenus ex præscripto ipsius pie defuncti, & adjuncta appendice. Videtis, opinor, Cives Academici, Virum laude non tantum nostra dignum, sed & vestra, qui sæpe docentem audivistis & alia ejus commoditate, ut sese dabat occasio, fructi estis. Utatur ille vicissim vestra gratitudine, quam erga defunctum non potestis majorem exercere, quam si frequentes ad exequias conveniatis. Meditanda est nobis vitæ mortalis brevitatis, caduca nostri generis natura, temporum, in quæ reservati sumus, conditio, quæ omnino postulat, ut beatos merito prædicemus qui in Domino moriuntur, non tantum quia mortis eos tormentum non tanget, neq; calamitas afficiet, qualis plurimas


mas belli nobis intulit praesentia, minatur futuram,
minantur morbi, annonae caritas, & quod rei caput
est, fidei & caritatis Christianae, passim disparentis,
defectus: sed multo potius, quod in aeternis gaudiis
versantur, & iis quidem, quae nec homines ocu-
lis possint comprehendere, nec auribus, nec animo,
sive, ut ipsius Empedoclis utamur carmine *ἢ ἐπιδερκτὰ
τάδ' ἀνθρώπων, ἢ ἰπακκοῦ, ἐπὶ νόῳ περιλήπτα.* Hoc igitur
agamus & vitam nostram quantumlibet brevem, labo-
riosam, obnoxiam DEO commendemus: Academiae
vero laborantis, & intra triduum funera duorum praes-
tantissimorum sui membrorum videntis ac deploran-
tis, vicem non tam doleamus, quam DEUM rogemus ut
hanc pietatis officinam, virtutis palaestram & eruditio-
nis gymnasium clementer & paterne respiciat, in Illu-
strissimis & Amplissimis Dn. patronis animum juvan-
di, favendiq; resuscitet ac servet, viros idoneos in loca
vacua surroget, juventuti deinde Studiosae Bonam
Mentem largiatur, ut ita DEI gloria, Ecclesiae & Aca-
demiae salus, docentium discipulorumq; labores ac stu-
dia promoveantur, augeantur, confirmentur. P. P.
sub sigillo Facultatis Philosoph. Anno 1639.
die XV. Maij.











the scale towards document

Image Engineering - Scan Reference Chart TE263 - Serial No. 09A
Patch Reference numbers on UTT

ges ac Principes sæpè attoniti audivere : Sua-
minentis vim , non secus ac Demosthenici
petum imperij Proceres sæpè sensere. De
non tantum privati, sed & publici partibus,
inis forma, de religionis purioris vindicijs,
ibus rectè instituendis, litium prolaxis telis
ad publicam salutem conservandam necessa-
ovellorum nostri ævi, novas Utopias somni-
lut alter Sulpitius, studio, usu, experienciâ, &
sed & archivis actisq; publicis haustâ scientiâ
planè lepore differebat. Deniq; Encomio Lucij
storû disertissimû & oratorû jurisperitissimû
t. Accedebat naturalis cum decenti venustate
ta gravitas, in divino cultu pietas, in homini-
s, in negocijs expediendis dexteritas, in adver-
peris continentia, in fortunæ instabilitate
quâ bonæ conscientiæ scuto munitâ, omnes
umniarum, invidiæ & livoris ictus ac morsus
repulit. Aulicis negocijs gravibusq; causis
& occupatissimus fuerit, semper tamen
in respexit, ejus ut quondam alumnus, ita
as defensor, imò & excultor perpetuus fuit.
ioz. viro consultissimo Joanne Albino, pandectarum Pro-
fente, eidem in officio susceptus & in collegium Juridici
us fuerit; præstitit se quoq; in hac vitæ statione fidum
siones crebræ, publicæ curæ & molestiæ, eum aulicos &
iri & Labeonis Jcti exemplo annum quasi cum labori-
quibus tamen cum sensim nimis irretiri & aulæ astringi
caria viri consultissimi Christiani Obmichij J. D. exitij,
demicum sibi creditam, luculenter fœneravit. Virtuti-
n adversus affectuum motus, & adversitatum impetus
mavit, seq; invictum reddidit : ast à morbis corporis se-
otius quò animo fortior, eò semper fait corpore debilior:
um in itinere quodam officij ratione suscepto, correptus
ti initio typum tertianæ simplicis gessit, ita non multò
sentavit, & in ædis inducijs indultis, majori paulò post
suans, incrementum sumpsit, in quartanam degenerans,
Accesserunt lienis & mesaræi obstructiones, & quart-
ples scorbutus, perennis itidem à capite ad fauces & pul-
alcens indelinens tussis, cujus vehementia, venula pul-
monum